



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1546. usque ad annum 1549

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1770

VD18 90118529

§. 50. Sigismundus Poloniæ Rex mortuus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66608](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66608)

Sæcul. XVI. A. C. 1548. sententiam, qua D. Petri Epistolam ex alia Babylone Ægypti urbe fuisse scriptam affirmat.

§. L.

Sigismundus Poloniæ Rex mortuus.

Sleid. comm. *l. 20. p. 708.* *Belcar. l. 25. num 5.* *Neugebaver hist. Polon. l. 7. ad finem & l. 8. initio.* **O**biit pariter hoc anno in festo Paschatis, quod in primam Aprilis diem incidit, Sigismundus V. Poloniæ Rex, postquam octogesimum secundum ætatis, Regni vero sui quadagesimum secundum expleverat. Erat is Filius Casimiri IV. ac Joannis, & Alexandri Regum Frater, tanta meritorum gloria illustris, ut per heroicas actiones suas jure sibi *Magni* nomen emeruerit. Anno Christi millesimo quingentesimo duodecimo connubio sibi sociabat Barbaram Stephani Comitis de Scepus, ac supremi Transylvaniæ Præfecti Filiam, quæ Anno a Nativitate Domini millesimo quingentesimo decimo quinto nonnisi viginti annos nata mortalitatem exiit. Secundis postea nuptiis Sigismundus duxerat Bonnam Sfortiam Joannis Galeatii Mediolanensis Ducis Filiam, quæ nonnisi Anno reparatæ salutis millesimo quingentesimo quinquagesimo octavo naturæ debitum solvit. Ceterum Sigismundus ex primo conubio duas susceperat filias, Hedwigen Joachimo II. Brandenburgico

deburgico Electori nuptam, & Annam adhuc in cunis morte sublatam. Magis Sæcul. XVI.
A C. 1548.
fœcundæ erant secundæ nuptiæ, ex quibus primo ortus est Sigismundus cognomento Augustus Patris sui Successor præter Elisabetham, Sophiam, Annam, & Catharinam, quarum prior Joanni Zapolo Hungariæ Regi, altera Brunsvicensi Duci, tertia vero Stephano Batorio postmodum Poloniæ Regi, ac quarta demum Joanni hujus nominis III. Sueciæ Regi desponsata fuit.

S. LI.

Galliarum Rex pro fœdere cum Papæ ineundo Pedemontium profectus.

Postquam in Galliis Henricus II. exeunte Mense Aprili Picardiæ, Campaniæ, ac Sabaudiæ Provincias lustraverat, omnesque urbes valido præsidio, omnique annonæ, bellicque apparatu instruxerat, tandem Pedemontium contendit, ut fœderis negotium, quod Cardinalis Lotharingius cum Papa agibat, eo efficacius urgeret, quinimo idem Cardinalis summo Pontifici significabat, quod Rex jamjam Mediolanensis urbis portas infestaret, nil tamen ultra moliretur, nisi prius Farnesiana Domus in Parmensis, ac Placentinæ ditionis possessionem reposita foret. Verum

Thou. l. 5.
num. 7.

rum